

lem vim seu facultatem agendi infert, quæ quid, positis omnibus ad agendum requisitis, potest agere, itemque hoc, & isto modo agere. Potentia vero Naturalis, seu Necessaria eam, quæ quid, positis omnibus ad agendum requisitis, non potest non agere, & positis iisdem requisitis, eodem modo sese habentibus, non potest diversa, aut modo diverso agere: Id quod nempe sibi volebant utriusque hujus potentia descriptiones paulo ante præmissæ.

§. 30.

Sunt itaque in Homine Potentiæ Liberæ, formaliter quidem ac per essentiam, voluntas; per participationem vero, potentia ridendi, ac loquendi, nec non appetitus sensitivus, ac denique facultas locomotiva: Naturales, seu Necessariæ reliquæ, quæ in homine dantur, quæve in corporibus cæteris, cum animatis, tum inanimatis, universe omnes,

§. 31.

Saltem vero de Intellectu humano disceptatur, ad quamnam ille speciem harum potentiarum pertineat. Quem quidem tantum radicaliter liberum communiter appellant; eo quod voluntas non possit libertatem suam exercere, & objectum libere appetere,